

Handwritten text in a medieval script, possibly a list or index, located in the upper left section of the page.


Handwritten text in a medieval script, possibly a list or index, located in the middle left section of the page.

Handwritten text in a medieval script, possibly a list or index, located in the lower middle left section of the page.

Lertus

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

10
De. 34.





Joachim Störmer Kunstm. Ao. 1637

NATALIS DN. ET SALVA-
TORIS NOSTRI VNICI,
IESV CHRISTI

CIC. IC. XCIV.

Carmine anniversario celebratus

à

NATHANE CHYTRAEO

Cum appendice.



BREM AE, Typis Bernhardi Petri.



NOBILI
ET VERE PIO AC
SINCERE PROBO

VIRO,

D. GEORGIO ADHYRN, IN
DEUTSCHKEISEL AD HERZ-
VV ALDA &C.

DOMINO ET FAVTORI PL. OB-
SERVANDO,

STRENAM HANC SVAM
Christianam,

Observantia ergo

Dicat consecratq;

NATHAN CHYTRAEVS,
*Rector & professor Scholæ
Bremane.*





NATALIS D. N.
IESV CHRISTI THEAN-
THROPI ET PHILAN-
thropi,

CID. ID. XCIV.



*Arni ad cygniferi roseas versus
hactenus undas
Crebro dicte mihi, puer opta-
tissime Iesu,
Et, tibi si placeat, crebro dicen-
de deinceps,
Ad Vesarim, aut superos inter: jam nunc
quoque mentem
Christe meam rege, tu docile mihi dirige lin-
guam,
Ut tibi de te grata canam, gentique piorum,
Suaviter hausta unis è fontibus Israëlis,
Securus quid fallacis deliria mundi,
Aut Satanæ quid flabra probent reprobentve
maligna.*

Tu siquidem nostra una salus, una anchora
sacra es,
Verus homo, verusq; Deus per hypostasim unã,
Qua sine tartareis mersi opprimeremur in
undis.

Postquam etenim primævus homo, quando
esset imago

Ipsius illustris sine noxa & labe Iehovæ;
Mendacis colubri se fraude avulsit ab ipso
Avertitq; Deo, atq; ultro se mortis avaræ
Faucibus æternum immerisit: tum scilicet illa
Iustitiæ summæ & perfectæ acerrima norma,
Curvari impatiens, & frangi nescia, Adamũ
Cum socia, & tota cum posteritate utriusq;
Non prius exsolvi noxa vinculisq; sinebat
Lethiferis, nisi verus homo quis, criminis
expers,

Illa ipsa de gente rea satus, ipse sequester
Se medium daret, & legi sine fraude Iehovæ
Perfectum plenè & solidè pareret ad unguè:
Supplicioq; pari lueret commissa nocentum.

» Tanta labis erat Domini irritasse furorem;

» Tanta molis erat lapsis reparare salutem.

Nullius ast meritum persona, ni simul esset

Aeter

Aeternus verusq; Deus, par esse valebat,
Aut magnum satis, ut culpam, quam perfida
Adami

Progenies lapsu contraxerat ex aequaret,
Nedum illa in solidum divinā ut tolleret irā.
Quippe creatus homo tantū, nudusq;, miserq;
Et vitii simul ipse scatens, sub pondere molis
Tam gravis & vasta, spe deficiente, fatiscens
Illico pessumisset furialibus obrutus undis;
Invalidus tanti Oceani superare procellas.

Præterea hunc ipsum Dominū auctoremq;
salutis

Vi propria, & merito nobis bona perdit a plene
Reddere par erat: & dextra nos vindice morti
Eripere: ereptosq; omni ratione tueri,
Et servare adeo, dum victis hostibus ipse
Redderet omnia, restituens meliora relictis.
Deniq; servandos omnes huic inserit uni
Recti operosa fides: & ab hoc gestarier uno
Electos omnes, vitamq; haurire necesse est,
Membrorum & capitis, vitisq; & palmitis
instar.

Hoc sine nil miseris firmum est, spes nulla sa-
lutis.

Hinc igitur primo factum, ut servator Iesus.
Natura Deus, & persona trinumini esset
Unius altera, sermo patris, patris unica proles
Orbe ipso prior, & cunctis hoc orbe creatis:
Cūq; patre & sancto cū flamine solus & unus
Aeternus sapiens, perq; omnia par utriq;
Majestate sua Dominus, verusq; Iehova,
Omnipotens, bonus, & nullo mutabilis ævo.
Vtq; idem mortalis homo par fratribus esset,
Consimilisq; suis, animaq; & corpore constās,
Virginis intacta soboles, iam flaminis almi
Conceptu ex ipso demptis sanctissima culpīs.
Nostra alias de carne caro, de sanguine san-
guis,
Ossibusæque ipsis os factus, & integer, unus,
Ac germanus homo, Iesseæ stirpis amœnus
Surculus, & magni promissū semen Abrami.
Sic autem hæc sancti persona trinumini una
Humanā assumpsit naturam, ut protinus inde
Ipso à conceptu gemina hæc, mirabile dictu,
Natura inciperet jam sola atque unica, nullo
Divellenda die, fieri persona, beata
Quæ Mariæ ex utero nasci, & tolerare pati-
q; Omnia pro nostra posset toleranda salute.
Verè ille assumpsit quod nō fuit ante: nec illud
Quod

Quod pridem fuit amissum sibi perdidit ipsi. 97
Sed ceu verus homo est; sic & verissimus idem
Est Deus, ut carnem tamen à se haud separet
unquam,

Sed sustentet eam ac foveat, lucisq; beata
Participem faciat, simul idem binus & unus.

Quin etiam ipsa caro sic est unita Iehova,
Impatiens ut discidii secla omnia duret
Vinclū hoc mirandū, & nullo scrutabile seclu.

Quando etiam duplex haec unio naturarum
Nil planè immutat, vinclo aut cōfūdit in illo,
Vtraq; perpetuò sibi propria cum conserveat.

Scilicet ut vera possit ratione creatrix
Natura à facta, & vero cum numine iuncta
Nexibus aeternis, omni discernier aeo.

Sic sibi quod proprium est retinet sine fine Ie-
hova:

Et caro quod carni propriū est amittere num-
Immutāda potest. caeli nā gloria quāvis (quam
Maxima, naturam veri non corporis aufert,
Non carnem tollit: manet eternūq; manebit
Verus homo, verusquē Deus mitissimus ille
Salvator mundi vitæ melioris origo.

Hæc illa est antiqua fides, & cōsona Christi
Oraculis, & Apostolicis non dissona libris:

Sic omnes sensere pii, vereq; fideles.
Innumeri hanc testes fusa cū sanguine vita,
Vel flamma exusti, vel mersi in fluminis un-
das,
Supplicii immemores, obsignavere lubenti
Invictōq; animo. hanc Satanas Satanaeq; mi-
nistri
Cessarūt nunquam offusis mutilare tenebris,
Illam ut paulatim eruerent è mentibus ipsis
Christiadūm: sat persuasi, si victa vacillet
» Hac in parte fides, tum ceu fundamine moto,
» Aut sublato etiam ruere alto à culmine nostræ
» Structuræ & columnæ vitæ æternæq; salutis.
» Ergo opus hic vigili studio attētoq; labore est.
Non Asia tantum exitio blasphemus Arius
Cerinthusve fuit, Libyæve Sabellius, ut nunc
Europæ Catabaptistæ & Servetus agyrtes.
Eutychniana etiam passim nunc toxica serpūt:
Ampullæ nec Nestorii, aut phantasmata Pauli
O Samosatæ tui, sed nec Mahometis echidna,
Nec Pelagi rabies toto desæviit orbe,
Non alii Autolyçi fanda atq; infanda locuti.
Quos contra ut securus eas, vafre aspidis in-
star

Oclu-

Occludens magicis aures utrinque susurris;
Nocturna scrutare manu, scrutare diurna
Divini monumenta libri. veruntamen illud
Non velut Herodes facito, aut Pharisæa pro-
pago.

(Quorum ille indicio scripturæ extrema pa-
rabat

Funera servatori hominum; hi salvantis ho-
norem

Detrahere illi ipsi ad vulgus servile studebāt)
Sed Berrhæi instar populi, aut Samaritidis
instar,

Quæ Christo ad puteum stanti cum schisma-
ta seculi

Illius, & motos è religione tumultus

Narrasset cupidè; ex illo non protinus audit;

Isolymani ad templi proceres, regemque sacrorum,

Aut Pharisæorum placitis insiste, vel audi

Quæ Sadducei aut Essæi dogmata jactent:

Aut quid sacrifici vicino in monte Garizim

Declament, aut Herodis quid factio credat.

Ille etenim haud hominum scita aut suffragia
captat;

Non hominum arbitrio regitur: nõ indiget ullo

Fautorū assēsu aut plausu, velut ille profanus
 Ridiculusq; senex, in terra altaribus auctis
 Divorum in cælo numerum simul esse necesse
 » Credidit augeri. non sic Deus illi Iehova
 » Armipotens se rideri, ludique, trahiq;
 » Cujus suis sinit arbitrio tellure creati.
 » Non ille est talis, qualem pictoris adumbrat
 » Peniculus stolidi, aut maledicti runcina fabri,
 » Ipsa etiam maledicta, Deū si effingere tentet.
 » Lucis inaccessæ hic habitans penetralia, solem
 » Fulzore obtenebrat: liquefactos robore mōtes
 » Dissipat: & terras horrendo concutit ictu:
 » Vindicibusq; sibi delet contraria flammis.
 » Huius mundities etiam purissima mundi
 » Arguit immunda, & secum collata repente
 » Inquinat, aligerosq; ipsos sine labe creatos
 » Iustitia huic non esse pares pleno ore fateri-
 dum est.
 » Hic ille est, cuius sapientia summa vafrorum
 » Cor etiā penetrat: qui consilia Archiothelis
 » Dissipat, Hamanisq; sagax occulta revelat
 » Omnia, & auctore technas cōvertit in ipsum:
 » Quo corā innocuus, vel sancto sanctior, esse
 » Nemo potest: cuius semel ira accensa trisulci
 » Fulminis instar, in obvia perfurit omnia
 abyssos Ipsius

Ipsius Oceani & Satanae penetralia rumpens.
Hic igitur Deus, hic dominus, verusq; Iehova,
Non tibi, sed sibi vult dociles præberier aures:
Te quoq; cū docili Samaritide sic compellans;
Non alius, sed CREDE MIHI, fraudisq; doliq;
Ignaro mihi qui credit, non fallitur, unum
Me penes arbitriū est & ius & norma docēdi.
Biblia sacra igitur studiosè evolve, Deoq;
Hac una ratione tibi jam attende loquenti.
Simplice sed facito id studio, præeuntibus ante,
Cuncta timore Dei, quem mens vereatur,
ametq;
Submissisq; colat precibus de pectore fuis,
Quod veri studio flagretq;, & flaminis almae
Sit lucis cupidum. hinc tantum divina vo-
luntas
Non tua spectetur, tractas dum sacra. cerebri
Somnia nemo sui sacris miscere laboret,
Ut fucis atque effugis hinc inde petitis
Detortisq;, ornet malè præconcepta, magisq;
Impediat quam promoveat mysteria veri.
Non hic figmentis hominū, sannisq; malignis,
Non rixis opus est. per se sibi sufficit ipse
Ille liber. quodq; hic paucis, id pluribus illic
Traditur. obscurū hic multis quod forte vide-
tur,
Cla-

Clarius expositū est alibi, modo querere noris,
Nec cum Nyctimene solem ipsum carpere
malis,

Quam proprios oculos aure cælestis egenos.
Neve adeo, quia luce ista tibi non datur uti;
Omniem propterea terrarum involvier orbem
Perpetuis cupias, sublato sole, tenebris.

Nec tibi cū cera aut corio rē hic esse putaris,
” Quam temere huc illuc trahere & distendere
” curvis

” Sit licitum. cave ne tibi talis opinio mentem

” Precipitet stolidam. potius quò duxerit illa

” Attentus sequere, & nunquam properantior

” equo

” Hanc præcurre ducem. sed nec reprehende
furenter

Quod minus assequeris. quin cauta expendit o
mente

Singula, nec cessent pia vota, & linguæ utri-
usq;

Inviētum studium. Si depravare monet am

Est scelus, auctori flamma aut ferventis olivæ

Supplicio, pœnam hanc nullo miserante, luen-
dum;

Qua

Qua flamma tu dignus eris? qui ludiera tam-
quam

Tractares, his in tabulis ex ore Iehovæ

Descriptis sacrosancto, tam audacter omittis

Plurima, quedam etiam mutilas, quedam in-
terpolas,

Depravas quadam invertēs, temereve refingēs.

Arbitrio aut mutans proprio, laceransve ci-
tando,

Aut suppressa tegens, prout dogmata forte
requirunt,

Quæ tibi defendēda putas, licet inde labantis

Vel patria excidium, & strages extrema se-
quatur.

Artibus haud istis opus est, comedi integer

Agnus

Paschatis, haud mutilus voluit. de simplice

vero

Quin si es sollicitus; sacro duce flamine li-
brum hunc

Quem dico evolvas: qui cōtinet omnia, nullo”

Vel minimo excepto, quæ vita aeterna requirit.”

Hæ sunt fasciolarum quibus iste involvitur infas.”

Hic ager ille ferax gemmarum & divitis auri,

Scm.

Semper inexhaustus, de quo quò plura subinde
Effodias; hoc plura Deus sine fine reponit.
Nec frustra hunc quisquã excoluit; queren-
tibus ille

Suppeditat quidvis, nulli mel dulce legenti

» Invidus aut præclusus api. Verum instar ara-
chnes

» Si malus accedas: dirum pro melle venenum

» Te legere haud mirum. & merces hæc digna
labore est,

» Scilicet ut demens & inexcusabilis erres,

» Et malè lecta tua quondam sint fulmina men-
ti, ut

» Velamentantis nequeas prætereendere culpis.

» Sed si mellilegam referat tua cura melissam;
Tum non insidias hinc ut vereare necesse est:
Hinc aconita absunt: nullã latet anguis in
herba:

Quod commenta patrum volvens veterum
atque novorum,

Aut homini auscultans, quamvis sit maximus
Persuadere sibi certò tutoq; piorum (ille,

Nemo potest. semper lapis hic tibi Lydius ut sit

» Presto opus est, cribrumve adeò quod vivida
» grana

Sepa-

de
Separet à paleis, fœdove à pulvere gemmas, 20
Aut etiam putres à puro fonte lacunas. 20

Scilicet ut soli constet sua gloria Christo, 20
Crescere quem solum sanctorum in cordibus 20
æquum est.

Non sibi Baptistes ipse, aut quicumq; minister, 20
Appetat hos, Christo qui uni debetur, honores. 20
Hic errare nequit solus, qui huc cunq; sequitur 20
In tenebris nunquam incedent. hunc ergo se- 20
quamur

Securis invicti animis, illos què ministros,
Quis Christi unius nomēq; & gloria cordi est,
Attenti & dociles fido veneremur honore,
Ceu patres, Christumq; loqui credamus in illis.
Sed si quis sua, nō Christiū super omnia querat, 20
Mancipiū Pluti, atq; aure popularis alumnus; 20
Si proprium decus aut vindictam affectet ho- 20
noris;

Conservos si percutiat; dominetur acerbè 20
Si fidei illorum si non accepta, sed à se 20
Proferat invēta, & Christi nō cognita ovili; 20
Hic opus est animū ut prudentia serpentina 20
Informet docilem, sacer ut quid Spiritus illi
Quid pat hos immittat recte discernere noris:
Ductorem potius cæcum nisi cæcus & ipse

Secl a.

- „ Sectari in salebris malis, praeceptisq; barathro
 „ Tenario immergi nullo revocabilis aëvo.
 „ Cuncta igitur scriptura probet, pravisq; reli-
 ctis
 „ Quae bona sunt teneat, scriptura sed integra,
 norma
 „ Exacta & solida similis, quam flectere nemo
 „ Audeat, aut proprii sensu incurvare cerebri.
 „ Nam tibi si arbitrio norma haec aut regula fiat
 „ Lesbia perverso, nunc huc nunc flexilis illuc;
 „ Tum tua, non hujus culpa est quod turpiter
 erres.
 „ Quin sceleri scelus accumulans graviores lu-
 endum
 „ Supplicio, nisi pœniteat. quapropter acerbos
 „ Ex animo affectus prius ejice: rancida cessent
 „ Fac fermenta odii; cerebrosum reprime fastum;
 „ Reprime vincendi studium: procul ardor ho-
 noris,
 „ Ardor opum pulsus fugiat: spes illa fidesq;
 „ Et fraternus amor, pietasq; & amabilis illa,
 „ Qua sine vel quaevis manca est, patientia,
 virtus,
 „ Ceu postliminio redeant, sibiq; oscula figant
 Mutua

Mutua, & inter se veraci in pace quiescant. »

Hac sunt indicia, hac fratrum tecmeria Christi, »

Dignosci quibus à reliquis sua ovilia iussit, »

Ceu veris certisq; notis, nec fallere suetis. »

His equum parere tibi est, quaecunq; loquantur

Scripturis deprompta sacris. hos flectere nor-
mam hanc

Velle haud credibile est. alios sua somnia sa-
cris

Eloquiis exaquant, animiq; tumultu

Effervescentes, teque in sua verba jubentes

Iurare invitum; nec doctum admittite, nec audi,

Nec tibi quae dicunt facito. hic sub pellis ovina

Prætextu lupus est rictu metuendus & ungue

Conditus. hunc fugiens, Christo uni crede ma- »
gistro,

Vno hoc sat doctus, sat eodem dives amico. »

Hoc navis rectore tibi non sava charybdis;

Non scopuli, non Sirenum mala philtora no-
cebunt:

Vnus hic optato sistet tua linteaportu.

Sed quorsum imprudens rapior, brevitatis
amori

Deditus usq; adeo est gravitas certe ipsa negoti,

Iacturaq; adeo moles, tantique periculi

B

Ver-

„ Verboſum fecit. neq; enim res ludicra cuiquã
„ Censenda eſt æterna ſalus & vita perennis,
Quam tibi (ne memorem graſſantes cade
Tyrannos)

Organa tot Satanae paſſim intervertere ten-
tant,

Dũ ranas hinc inde ſuas ſacer Antichriſtus
Evomit, ut regnum minitans finale ruinam
Fulciat, & plures ſecũ una in tartara mergat.
Præterea notum eſt inſtare ea tempora &
annos,

De quibus indocti paſſim doctique per orbem
Tot mala prædixere olim, nec dicere ceſſant.

„ Et ſi è principius etiam de fine licebit

„ Indiciũ facere. an dubium eſt, ea ſic dare
ſeſe,

Urbibus in regumq; aulis, templisq; , foroq; ;
Flebile principũ ut melior fortuna deinceps
Nulla ſequi poſſit : fatales quando ruinae,
Tantum & pœnae ſcelerum, (meſura vi-
detur

Iam quorũ cumulata ſatis) divinitus urgent.

Quid peccare igitur credar? pro viribus
ipſe

Si moduloq; meo, ſtertentibus acriter una

Cum

Cum reliquis instem, ronchis nō deditus ipse:
Consolervē pios verè, dominoque fideles, ”
Quos equidē intanto rerū mundiꝝ tumultu ”
Invito violare Deo vel perdere nemo, ”
Sit quicumque, potest. Sodomam diramquē Go- ”
morram

Obruere ante nequit sacer angelus, inde prius-
quam

Exeat incolumis cū prole & conjuge Lothus:
Quinetiā, monitore Deo (scripto illa notavit
Veridico Ezechiel) hominum sevisissimus ille
Percussor vindexqꝫ, prius quā verbera vibret;
Dispersos in fronte pios signare jubetur.

Qui licet haud possent saeli sedare furores
Et peccata sui; calidis tamen illa subinde
Lacrymulis inter suspiria deplorarant.

Cum Solymæ excidium tandem impenderet,
amœni

Trans vada Iordanis iussit sex inde piorum
Millia commigrare Deus, quibus ipse latebras
Pelleos inter tribuit, cunctosqꝫ stupendo
Servavit textiqꝫ modo, vicina tota
Cum ferro, peste, esurie, flammavē periret.

Vivit adhuc Deus ille idē, sacra dextra cuius ”

99 Debilior nondū facta est. is nunc quoque novit
” Defendet q̄ suos, licet orbis & orcus in unū
” Solvatur chaos, & vasto absumantur ab igni.
” Cur peccem, hac, inquam, memorans aliisq̄,
mihique

Præcipuè, sua sat cui cognita curta supellex?

Si quem forte tamen libertas ista loquendū
Molliculum offendit (cunctos qui carpere pro-

nus,
Se tangi haud patitur) sibi quam male consci-

us ultro
Sit miser ostendit, queruli & se soricis instar
Indicio ipse suo prodit. prius ergo se ipsum
Incuset, non me innocuum. mihi non ea vis
est

Tollere gangrenam cuiquam, dirumvè fla-
gellum

Turbato sub corde furens ut sistere possim.

Quod DEVS ut faciat veraratione precan-
dum est.

APPEN.

APPENDIX.

Christiani est pati.

Est homine indignum de Christo nomen
habere,

Et nil pro Christi nomine velle pati. 29

Nosse recens nati stabula & praesepia Christi,
Et tamen hic celsas edificare domos.

Nosse crucē, plagas, & passi vulnera Christi,
Et tamen hic Plutum deliciasq; sequi.

Si Christi vis esse, etiam vestigia Christi 30
Fortis ini, non te deseret ille suum. 31

De Symbolo Apostolico.

Hec vocalis erit mihi tessera, symbolon hoc
mi

Semper erit, quo me Christi servum esse pro-
babo:

Et quo dignoscam fratres, hostesq; rebelles
Christe tibi. procul hinc omnes, procul este So-
phista,

Pontifices, Pharisei, alii, qui symbolon istud
Aut non affertis, fædo aut corruptis ausu,
Præcipuasvè ejus partes aboletis, apertis
Non equidem verbis, sed re furialiter ipsa.

Non Satana placet, in certos qui exordia fines
 » Hæc regit, è tenui scintilla ut maximus ignis
 » Scilicet erumpat quondam, quo tristis Alethe
 » Deformata gemat, quæratq; oppressa latebras.
 Ergo iterū procul este, ajo, qui symbolon istud
 Sincerū haud circumfertis linguaq; animoq;
 Nil mihi vobiscum, Regis quia tessera Christi
 Et nota certa mei, inter vos non cernitur
 Germanos ergo cur nō imitarer avitos (usquā.
 Septimio qui teste, aures dextra atq; sinistra
 Obturare olim, communi more, solebant,
 Audirent si quid contra modo symbolon istud
 Mutiri quemquam. sequere hunc Germania
 morem

Majorum, sic te nunquam pia linquet Alethe:
 Sic misera è sacris emerges deniq; bellis.

Verbum Dei panchrestum.

» Sermo Dei est animis grata esurientibus esca:
 » Inq; siti potus recreans: opulentia summa
 » Est idem, si quando premat crudelis egestas.
 » Est Hygiea, graves si tentent corpora morbi:
 » Gloria in opprobriis: rebus solamen in arctis:
 » Latitia in luctu: spes & fiducia certa
 » Omnia cum trepidant, nec adest spes ulla salu-
 tis. Idem

*Idem in peccatis nobis est unica virtus:
Iustitia & summi quoque iudicis ante tribu-
nal.*

*Sermo Dei sopor in morte est, in funere vita,
Inq; gehennæ imæ tenebris optabile cælum.*

*Quis nam igitur pane christum istud medica-
men habere*

*Non amet, & cunctis mundi præponere ga-
zis.*

Ultima verba Nehemiæ.

Recordare mei, Deus mi, in bonum.

Cui respondet Iehova

Esaie 49.

*An oblivisci potest mulier fœtus sui, ut non
miseretur filii uteri sui? etiam hæc oblivisci
possint: tamen ego non obliviscar tui. En
in manibus sculpsi te.*

*Quæ plenissima consolationis verba, in grac-
tiam verè pii & docti viri M. Simonis Bran-
desii, Rectoris & Pastoris Scholæ & Ecclesiæ
Borsholmensis jam moribûdi, & ab omnibus
pænè desertj, his versiculis exprimere sum co-
RATUS.*

Gemi-

Gemitus cuiuslibet peccatoris.

Respice me miserum tanto in squalore jacentem,

Inq̄ bonam partem Christe memento mei.

Christus respondet.

» *Sis invicto animo. numquid materve, paterve*

» *Infantis possunt non meminisse sui?*

» *Sit amen usq̄ parens adeò offerretur iniqua;*

» *Immemor ipse tui non tamen esse queo.*

» *En sculpsi in manibus teq̄ & tua cuncta, nec esse*

De te, deq̄ tuis desino sollicitus.

Rostochii V. April.

An. 93.

Facilis iactura sepulchri est.

In ejusdem sepulturam coram
mundo ignominiosam.

Pomposum ut funus, tumulusq̄, jacentis ad

Nil prodest notis impietate malis; (arans

Sic spretum funus, tumulusq̄, è cespite vilis,

Aut nullus, potis est haud nocuisse piis.

Omne

Omne solum sacrum Domino est, ubicunque
putrescant

Corpora, sancta anima caelica regna pa-
tent.

Fornice cui templi vel vi vel fraude negatum
est

Posse tegi, is caeli fornice contegitur.

Liberiorq; illi ad superas patet exitus arces,

Quam quem tot lateres, saxa tot ampla
premunt.

Tu verò innocuis qui iusta sepulchra negasti,
Ne tibi met claudas caelica templa vide.

Animæ tuæ curam ipse age.

Oeconomus tibi suspectus si forsitan esset:

Heredi tibi de paucis si quaestio nummis

Mota foret: si quis verbis lesisset honorem

Fortè tuum aut factis; an tu committere totã

Rem velles aliis, rationum nescius ipse?

Non credo. cur ergo anima cum tanta salutis

Causa agitur, rem totam aliis committis

agendam,

Sape quibus paucos non velles credere num-
mos?

Interea socors, & tanquam sensibus orbis.

B 5

AN

- An alios tibi tam fidos fore credis, in istis
Tanti momenti rebus, tantiq; pericli?
De quorum creperaq; fide, infidoq; labore
Conquereris toties, in vanis rebus agendis.
Hic agitur vel de vita, vel morte perenni.
Hic agitur vel de celo, vel faucibus orci.
Hic agitur de letitia aut mærore, dies quæ
Nulla unquam extinguet, nullo unquam fini-
et ævo.
Si sapiis ergo cave, & vigila, nec credulus
esto
Plus aliis justo. ast anima curam ipse salu-
tis
Semper habeto tua. semel hac tibi perdita,
nulla
Vel prece, vel pretio, nulla revocabitur arte.

In bannum falsorum fratrum.

Quid conservum audes regnis excludere
cæli?

Ipsam quæ nondum te penetrasse liquet.

Cede Deo, compesce animos, hunc reprime fa-
stum.

Fulmina ne redeant in caput ista tuum.

Doro.

Dorotheam N. F. Chytræam
mense ætatis XI. placidissimè
defunctam.

Pater lugens alloquitur.

Esaia XL. V. XI.

Velut pastor gregem suum pascet. in
brachium suum congregabit agnellos,
& in sinu suo portabit. foetas ducet
commodè.

Exsecratus ego dū psychotyrannide vexor,
Et Pampista animi sanguine tota madet;
Concepta & gravidâ gestata es matris in
alvo.

Nil nisi vagitus vox tua prima fuit.

Quem sunt ploratus, lachrymaque deinde se-
cuta

Continua, ut mæste matris imago fores.

Cui quoque lactifluus fons planè exaruit
ægre,

Et nova mox nutrix æve repertatibi est,

Haud similis veræ matri, sub qua tamen in-
fans

Succi plena, novi plena vigoris eras,

Blanda

Blanda nigris oculis, luteoq̄, decora capillo,
Gestibus & blandis sueta placere patri.
Sed quidquid fuit hoc solaminis atq̄, vigoris,
Vix bene conspicuum ter vè quater vè fuit,
» Sapius aut paulo, ut nulla est diuturna volu-
» Sit nisi sidereis accumulata bonis. (ptas,
Mox nondum anniculae tibi mortis prodro-
mon asthma,
Injecitque avida tussis anhela manus.
Quas, agnella instar, mitis placideq̄, tulisti,
Inscia dum mortis morte sopita fores.
O mea Dorothea, agnella vel jure vocanda
Consimilis, fato moribus atque tuis.
Te pastor bonus ille sinu collegit in amplum,
Maturè innumeris præripuitq̄, malis.
Hic ubi non scabies, nō herba infecta veneno,
Non Notus aut poterit Turca nocere tibi.
E dextra hac, tepidoque sinu nec prava malo-
rum
Exempla abripiant, nec Satan ipse malus.
Hic tibi pro fletu risus, proq̄, asthma mare duro
Asma chori angelici dulce piumq̄, placet.
Hic tibi parva quies: mihi dum, matriq̄, ge-
menti,
Fors sunt multa domi multa ferenda foris.
Dum

*Dum nos aura gravis Borea, vel pabula ledent
Aspera, vel rabies insidiosa lupi.*

*Sed bene habet. nam vivit adhuc pastor bonus
ille,*

*Qui tenet in mediis sceptrum pedūque lupis.
Hoc duce per tenebras, per devia & invis
tuti,*

*Non metuemus apros viperæque dolos.
Hic etiam nos post paulo, cum venerit ipse*

*Hora placens, istis eximet insidiis:
Cælestesque agnos & oves nos inter, eodem
Excipiet tecum, filia cara, sinu.*

EDYLLION.

*Fæta bidens roseis errabat tristis in agris,
Comparis ob sortem infauſtam, communibus
herbis*

*Agnina sub pelle lupus quem arcebat, eique
Dentē dente terens, sceleri & pratexere Ze-
lum*

*Callidus, & fæta latitans pietatis in umbra,
Insidias clam fraude parans, expellere pratis
Hunc etiam & sucto sat agebat durus ovili.*

*Fæta bidens igitur non gustans pabula, nullos
Attingens fontes, tantum indulgebat obortis*

Lacry-

Lacrymulis, omniq̄, carens solamine, tantum
Comparis alloquio recreata subinde fideli est.
Quid mirare igitur fœtus si matris in alvo
Maternum affectum sensit, moresq̄, secutus
A partu est similes, lacrymas vagitibus addēs
Continuas, patriq̄, graves matriq̄, molestas:
» Hęc quoq̄, ni vicisset amor, qui cœtera vincit
» Omnia. sed pastor bonus ille oviunq̄, magister
Agnellam miserā miserans, mœstosq̄, parētes,
Ipse sinu hanc calido excepit, lacrymasque
gementi
Et simul & semel abstersit mitissimus omnes.
Cœlestiq̄, illam, dux verē fidus, ovili
Intulit. hic illi nullus lupus, ursus, apercū,
Aut gravis, aut metuendus erit. non ora ge-
nasvē
Turpabunt lacrymae. non pascua nota aco-
nitum,
Toxica non rivū inficient, fontesvē liquentes.
Nec scabies maciesvē illam, vel tussis anhela,
Vicini aut etiam pecoris contagia ledent,
Ex asse, atq̄, omni felicem ex parte. doloso
Sed quæ fata Lupo immineant, mox sentiet
ipse.

Doro.

Dorotheæ Filiaë Rostochii sepul-
tæ Epitaphium.

Imminet exilium, ut video, mea filia, nobis.

Te non felicem cur ego jure vocem?

*Tu veram in patriam, Christo arcessente,
recepta es,*

Nullus ubi metus est ullius exilii.

In novos fidei alienæ, & sacra-
menta à verbo separantes domina-
tores.

*Ita luis hostem, anima ratione, & corporis, uno
Perdere momento ut posset; primo impius illū
Abjurare fidem, & convicia dira coëgit
Dicere salvatori hominum. mox ense cruento
Cor pupugit misero, ut corpus sine mente ja-
ceret*

*Exanimū, & rapida prada exoptata gehenna.
Haud aliter multo nunc Fallax turba novo-
rum*

*Pontificum, vexat fidei & pietatis amantes
Sincera. hisq; anima, pariterquē & corporis
escas*

*Dira intervertens, mundo illos pellerē tentat,
Ceu tumuli indignos, mensæ & cœlestis ho-
nore.*

Quæ

Quin penes hos ipsos siquidem foret; in super
orco

Deturbare omnes cuperent. proh ferrea cor-
da, &

Monstra hominum, sancto pastorum haud no-
mine digna.

At tu cuncta sciens, cernensque Iehova,
quousque?

De Psychotyrannide que rela.

En habere magis, porcusque, canisque, Deique
Indignus mensa atque epulis, quod vera pro-
fessus

Non probo reliquias, verum execror, Anti-
christi.

Hinc ille lacryma. interea sine mente puella,
Et pueri, incesti, blasphemi, scorta, sagaque,
Delirique senes idola in corde ferentes,
Ebrioli, & positis animosi in fœnore nummis,
Nec non & fatui, surdi, mutique frequenter
Has celebrant epulas, non deficiente moneta
Quam prius accipitrimos est offerre togato.
Omnibus his unus tanquam sceleratior, atque
Deterior, procul absisto, mea pectora tundo,

Man-

Mancipis illius in templo post scamna latentis
Ceu comes & socius. nec te tamen optime rerū
Hic lateo genitor. tu tu mea viscera cernis,
Scintillamq; agræ fidei & pietatis amorem
Non planè extingues. turgens Phariseus ad
Prodeat interea Papa vestitus amictu; (arā
Et faculas inter medias, se in luce videre
Vel media nihil ipse probet. crebroq; retortis
In me oculis me condemnet, probrisq; subinde,
Dum docet, innocuum afficiat. scit, cernit, & „
audit

Omnia scrutator cordis, falli inscius index „
Et iudex, præiudiciis qui denique tantis „
Cum met a finem statuet, tum forsitan ipse
Plorabis, qui nunc alios vexasq;, premisq; :
Sublimisq; caput velut inter nubila condis.

Nostri temporis Ecclesia cum Susanna comparata.

Vera Ecclesiola presentis imago Susanna est
Illa vetus, quam fraude viri senioq; dolosi
Ad plebem falsò accusant, pietatis in umbra,
Prætextu & legum. hinc probris gemis illa pu-
dendis
Obruta, nec corruicta tamen, (velut ungue co-
lumba C Acci-

Accipitris pressa, & trepidans, evadere quam-
Nescia, majorisq; metu percussa pericli, (quã
Se frustra innocuam clamat, cœlumq; laceffit
Continuis precibus, vinctasq; ad sidera palmas
Erigit illacrymans, alienis mobile nervis
Stat vulgus circum, & proceres mussare vident
Non ausi tamẽ egregios offẽdere patres (tur,
A quibus & jus, & populũ pendere videbant.
Sic igitur pergunt silicernia, protinus illa ad
Supplicium rapitur, saxiq; oppressa fuisset;
Ni Daniel exclamasset, stimulante Iehova,
Impurosq; senes, patefacta fraude maligna,
Pœna affecisset lethali, ipsamq; Susannam
Exemptam vinculis morti eripuisset acerba.
Quidnã aliud quãso jã vera Ecclesia perfert,
Illius & qui membra inter casta esse laborãt?
Hos etenim toto Impietas & Hypocrisis orbe
Pellere jam sat agunt, dum freta voce canina
Accusare simul, testari, & iudicis amplo
Officio possunt fungi. O bone Christe pusilli
Spesq; caputq; gregis, tandem Daniela vel unũ
Accende Heroas inter, qui nobile verum
Oppressum fraude è tenebris educat, & ipso
Collocet in solis iubarẽ hoc, clamorequẽ ju-
sto id

Asse-

Asserat, & vinculis insontes liberet, ut mox
Et tua te sp̄sum agnoscat celebretq; Susanna;
Et tā pressa diu venerāda triumphet Alethe:
Perferat & meritas scelerata calūnia p̄nas.
De grege nam misero, tua ni manus asserat,
actum est.

Sica inevitabilis.

Vis sicam aut gladiū cunctos quo protinus ho-
Sint licet innocui, clā iugulare queas? (stes,
Sivè palam placeat: nil refert: est in utrumq;
Ensis hic aut anceps sica parata tibi.
Dic igitur: si vis uno ut quis concidat ictus:
Hunc Calvinistam fortiter esse boa
Publicitus: vanoq; & idem instillato susurro.
Nulli uno poteris plus nocuisse modo.
Hoc unum illorum est, qui sunt sine crimine,
crimen,
Nomine quod solo, res ubi nulla, nocet.
Ensis hic est anceps, penetrans subito omnia,
cujus
Evitare aciem nec Petrus ipse queat,
Non Paulus, non Aurelius, non ipse Melan-
thon,
Non Camerariades Sturmia desq; senex.

Non argumento hic opus est, non testibus ullis,
Nullus fraternis hic locus est monitis.
Quo tua suspicio inclinat caco impete perge,
Securus feriat quos tua sica viros.
Tu modo par magno videare ardore Luthero,
Simius Heshusii, Flaciadaeq; senis.
An nō egregia hac homicidæ demonis ars est,
Digna q; tam sanctis, quis placet illa, virus?

In Capernam.

Mente Deus quæ vult, peragis dum dente
Caperna;
Te bene dentatum mente carere probas.

In Lupum.

Quid me cōdemnas Lupe tu damnabilis ipse?
Cur cælo excludis quo miser ipse cares?
Certè à te quoties censura damnor iniqua,
Absolvor toties à bonitate Dei.

Rostochio discessuri tristitiæ
ἀπογουσινὸν ad seipsum.

Exagitant me semnologi nil tale merentem,
Plebs addicta illis contra me credula, quamvis
Prorsus inauditum furit & fremit. ore re-
presso

Si

*Si taceam, irritor, proclamor, provocor edam
Ut fidei specimen. quod postquā innotuit urbi,
Turbator pacis dicor, pestisq; juventæ,
Qui missis propriis aliena negotia curem,
Sacrorum & templi censor. qui nil tamen
unquam*

*Aut dixi, aut feci, nisi quod mens cōscia recti,
Privatim sub corde mea servanda requirit,
Cætera securus. lingat pro melle venenum
Cui libet & placet, id mihi dummodo nemo
propinet.*

*Cur igitur frendent omnes? mendacia veris
Cur potiora probant? cur pessima queq; mi-
nantur?*

*Pro ratione furor cur imperat? ipse sacrorum
Hoc princeps cum flabello, sociisq; furorum
Sic fieri cupit: & laudat, furere hosce furores
Qui sat agunt. Sed vivit adhuc regnatq; Je-
hova*

*In medio hostilis turbæ: manet ille suorum
Arx, scutum, petra, & gladius, sepiq; vi-
gentis*

*More domū hanc, aut castrorum velut agmi-
ne cingit*

*Angelico: hic murus velut igneus, aut velut
ingens*

Gurges, vel fluvius circumdatus undique ma-
nit

Me, sobolem, uxoremque meam. qui piscis in
alvo

Servavit Ionam, Paulum saxa inter & un-
das,

Carcere conclusum Petrum, rabidosque leones
Inter divinum Danielelem, eiusque sodales

Ardente in clibano; quoque me servare meosque
Et vult & potis est. quidnam o mens agra va-
cillas?

Quid trepidas? fide huic uni, qui cernit &
audit

Omnia, nec quenquam vel re vel voce fefellit,
Sic lucem in tenebris, vitamque in morte videbis.

Rostochii 24. Augusti,
An. 93.

Vivendo morimur.

Flos ubi nunc prior ille tuus, roburque venustum
Corporis? in fumos. cecidit rosa, spina relicta
est,

Hanc quoque dum seva mors horrida falce
recidat:

Inque levem redigat cinerem, tennesque fa-
villas

Quod

Quod cinis ante fuit. vite hac decursio no-
stra,
Qua verè haud vita, ast misera consumptio
vita est.

In cruce meditatio phi-
laethæ.

Quid faciam? cultor pius & defensor Alethes
Dum studeo esse, odiis insidiisq; premor.
His argumentis Satanas nunc cogitur uti,
Quando alio haud potis est vincere vera
modo.

Sed bene habet, causa ista Dei est fortisq; bo-
niq;

Quid valeant humeri jam videt ipse mei,
Nec plura imponet, possim quàm ferre, novasq;
Mi vires addet, si nova damna premant.

Nec permittet uti mendacis nomine fœder,
Cultor Alethæ fidus amansq; sua.

Aut ut honos Domini cui verè ante omnia
cordi est,

Ludibrium mundo sim sine fine malo.

Tandem victa vincet veritas.

Vt Goliath proprio, jugulatur ab ense supinus,
Reg; illa perit, ipse sibi quam forte suisq;

Præ-

Præsidium fore crediderat, rupemq̄ salutis:
Nunc quoq̄ sic proprio veluti jugulantur ab
ense

Bella parant quicumq̄ piis, & lumen Alethes
Obtenebrare student. certò grex ille pusillus
Victor erit tandem, quidquid crepet Albius
ater,

Illius interitum è cæli qui prævidet astris.

Ridiculus, (fatuum nisi malis dicere) & artis,

Quæ nulla est, ausus positas excedere metas.

Iam macula vero offusa, nubesq̄, tenebræq̄

In faculas en mutantur flammæq̄ micantes,

Vt veri jubar (id placeat si quando Iehovæ)

Augescens radiis totum subito impleat orbẽ.

23 O lux cunctorum votis optata piorum

23 Illucesce orbi tandem, dispelle tenebras.

23 Vt victrix nulli superanda triumphet Alethe,

23 Sub pedibusq̄ premat Satanam, Satanaeq̄ mi-
nistros

23 Quos tenebræ pro luce juvant, pro pane ve-
nena.

Omnia probate, quod bonum
est tenete.

Os ait esse Dei se Bubalus ille misellus,

Atq̄ ideo sibi vult prorsus perq̄ omnia credi,

Sen

Seu verum seu falsa boet. sed credulus illi
Non ego sum, nisi servato discrimine, norma
Quod mihi caelestis dicit at certissima verbi.
Consona cui quaecunque docet; probo, laudibus
orno,
Et mihi dicta puto. quae verò dissona normae
huic
Egerit, illa mea procul hinc à mente repello,
Pestiferum velut, & cordi lethale venenum.
Os Satanae pariterq; Dei namq; unus & idem
Quod queat esse; docet Balaamus, & impro-
bus ille
Christi damnator Caiphas, qui falsa remiscet
Veris, in propriam solertes ambo ruinam.
Christi praeo hodie, cras forte erit Antichri-
Et lupus esse potest mercenarius ille (stus:
Externam simulans, corde intus hypocrita,
larvam,
Quam non est detraxe meum. tibi detrahet
illam
Sed quandoque Deus, falsa pietatis in umbra
Fallere quem frustra sat agis. non fallitur ille
Aut fallit, sibi sed constans manet, unus &
idem

Omnipotens, sapiens, bonus, & bonitatis
origo

Electus natisq; suis: iustissimus idem
In reprobos vindex, nullo placabilis aeo.

Futura scire solius Dei est.

Tam malè cum curem & tractem praesentia;
quare

Per fas perq; nefas scire futura velim?
Sit procul astrologus, cheromantes, augur,
aruspex,

Quorū artes hominū ludibria esse liquet.
Ebraeus verè namq; ille Theocritus inquit,
Solius est certò nosse futura Dei.

67 Ergo sibi hoc atex cū vindicet Albius, ecquid
Non miser aequalem se facit esse Deo?
Sic est. pœnā igitur blasphemi perferet olim.
Non semper poterit talia ferre Deus.

Veritas invicta.

33 Invicta est, quamvis non defendatur Alethe.

33 Arma eius sunt certa fides, patientia iner-
mis,

33 Conjuncta precibus lacryma, bona causa, si-
biquè

Con-

Conscia mens recti. contra hac qui se erigit
arma,

Bella Deo movet ipsi, uno qui perdere nutu

Cuncta sibi potis est, nec abest propensa vo-
luntas

Servandi, ornandiq, suos, patientia quando
Illius lesa in justum mutata furorem

Erumpit. quod qui tempus procul esse pute-
tur?

Cum tot continuas mercantur crimina pœ-
nas:

Ilicosquè intra muros peccetur & extra.

Assere Christe tuos tandem, compesce tyrannos,

Decidat ut de sede sua sacer Antichristus,

Et tua per totum clarescat gloria mun-
dum.

Piis omnia in bonum.

Arceor à mensa Domini, quod dira pro-
bare

Idola haud possim reliquiasquè Pa-
pe:

Aegra

Aegra jacet conjux cara cum prole, nec ipse
Quam valui quondam tam bene nunc valeo.
Accrescunt cura, probris proscindor, & in-
sons

Haereticus passim clamq; palamq; vocor.
Forte etiam exilio caelum hoc mutare solumq;
Me coget dominans cuiq; ministerium.
Res bene habent. o me feliciter infelicem!
Qui domino haec fieri cuncta volente sciam.
Quique bono cessura meo plane omnia credam,
Sunt in perniciem qua meditata meam.

Celeusma in angustiis.

Quid trepidem, licet infirmus, mortique pro-
pinquus?

Vivit adhuc Deus omnipotens, bonus ille Ie-
hova,

Cujus in omnipotente manu sunt exitus atra
” Mortis & inferni. qui vim, qui robur, ab ipsa
” Debilitate potest, vel fortibus acrior ipse,
” Elicere, & letho ex ipso depromere vitam.
Huic crede, huic confide audax, lucemq; tenebris
In mediis, vitam mediaque in morte videbis.

De Catarrho, in fastuosum.

Quid caput usque adeo extollis, cristasque
fluentes? An

An nescis quas nā nubes, quantos quē vapores
Inclusos cerebro gestes, non absquē periculo
Vita continuo. nam quā data porta furenter
Si fluere incipiāt simul & semel; ilicet ipsum
Suffocari hominē, nolitvē velitve, necesse est,
Seu somno vacet aut vigilet, comedatve bi-
batve,

Aut eat aut sedcat, seu quidvis tempore quo-
vis,

Aut quocūque loco peragat, cessetve. eat arrhi
Diluvium mortem tibi desuper intentare

Quando igitur nunquam cessat, quid cornua
cælum

Alta jacies contra? potius demitte cerebrū, in
Quo necis ipse tua causam prope carnifi-
cemquē

Circumfers proprium. fastu quid inanius isto?

In Balaamum.

Perge ferox Balaame pia maledicere genti,
Conscia mens licet ipsa tibi cōvicta reclamet.
Perge gravare odii miseros nil tale merētes.
Congere probra, ipsisquē probris mendacia
junge,

Spiritus ut quisnam impellat te morit Alcthe.

Est

*Est Deus in caelis, qui cuncta auditq; videtq;
Et vindex est justitiae, quem nemo sefellit.
Is facit ut dira, & maledicta nefanda furētis
In caput auctoris recidant. benedictio verò
Ut gentē innocuā cumulet. maledicere perge
O Balaame miser, miseri ô miserabile Pluti
Mancipiū. tua nā mage quo maledictio crescet;
Tanto iterū Domini crescet benedictio nobis.*

In eundem.

*Linguam non animum mutat Balaamus
avarus,*

Cum simulat populo se bene velle Dei.



ODA ANNIVER- SARIA

AD

NATHANEM CHYTRAEVM,
Gymnasii Brenæ: Rectorem, collegam
suum.

HAstecum celebros primas symmysta Ka-
lendas,

*Visurgis adfluentis, vates inclyte,
Imbribus assiduis*

Qui nunc turgidior fluit.

Op-

Optatas tecum celebros, Chytræ, Kalendas,
Dum Nazianzeno in juventam vox tua
Stillat, & herbivago
Vatis ruricolâ Andii:

Nos canimus Christum, cæli terræq; potentē,
Ter ante centum lustra quæ virgo parens,
Bis deciesquæ decem,
Annis sex minus, edidit.

Edita Barbaries furvi de cautibus orci
Cantu necatur: surgit hoc Humanitas
Litterulasquæ sacris
Nostras Monibus inserit.

Sæpius has iterū celebremus, Christe, Kalēdas,
Dum tu premis, quod vi, dolo, imprudentiâ
Possiet esse grave
Musis, quæ tibi sunt sacra.

I. Esychius. D.

FINIS.



FRAVDIS FRAVDE SVA PREN-
DITVR ARTIFEX.

Quid metuo mortalem ho-


minem ? Sol est mihi Christus.



qui involuere tentat

Infelix iubar hoc tenbris

VIA VISA PER INVIA
CHRISTO.



Ca 1715

II. Ex

ULB Halle

3

004 976 177



Ma





NATALIS DN. ET SALVA-
TORIS NOSTRI VNICI,
IESV CHRISTI

CID. ID. XCIV.

Carmine anniversario celebratus

à
NATHANE CHYTRAE O
Cum appendice.



BREM AE, Typis Bernhardi Petri.

81
(3)
1912